

tentiam restitui virtutes, supernaturales nempe, quae consequuntur gratiam sanctificantem et caritatem. Ratio est evidens, quia per poenitentiam remittuntur peccata, remissio non fit sine infusione gratiae, cum gratia nexae sunt virtutes: ergo.

Articulus II et III explicabimus postea.

In articulo IV declaratur quid sint *opera mortificata*. Quocirca advertendum est opera hominis secundum dignitatem, quam habent erga finem, distingui multipliciter. Nam 1) ea, quae hominem retrahunt a fine illumque indignum eo reddunt, ut peccata mortalia, dicuntur *mortifera*, quia privant vita necessaria ad consecutionem finis. Opera vero bona, quae in caritate fiunt, existente nempe homine in statu gratiae, dicuntur *viva*, quia sunt a principio vivente, et efficaciam habent ad merendam vitam aeternam. Si vero opera bona fiant in statu peccati, dicuntur *mortua*, quia cum non sint ab homine amico et filio Dei, valorem meriti non habent pro vita aeterna. (a. 6.). Tandem opera viva, quae nempe in statu gratiae facta sunt, si amittatur gratia, superveniente peccato, dicuntur *mortificata* propter superveniens peccatum; non enim sunt opera mortua, quia fuerunt facta in gratia, non sunt amplius viva, quia non amplius valent perducere hominem in vitam aeternam, sed sunt mortificata, quatenus per peccatum praesens impeditur eorum effectus, qui est consecutio beatitudinis. Haec autem appellatio et explicatio addita supponit id quod modo demonstrandum est: illo enim posito vere dici potest ea opera esse tantum mortificata, non mortua. Quaerit ergo s. Thomas a. V. utrum opera prius in caritate facta, per poenitentiam remisso peccato, reviviscant.

THESIS XIX.

Remisso per poenitentiam peccato, opera prius in caritate facta reviviscunt.

I. Quamvis sit communis prorsus Theologorum sententia, opera mortificata, deleta per poenitentiam peccato, reviviscere, non est tamen una ratio explicandi hanc reviviscentiam. Prima sententia docet ideo opera mortificata reviviscere, quia remisso peccato, gloria quae dabitur iusto, dabitur quoque propter illa opera, non tamen maior quam debeatur meritis post ultimam iustificationem comparatis, ita ut sint quidem plures tituli ad gloriam, non autem haec sit propter ea praecedentia merita maior secundum se. Erit tamen aliquod praemium accidentale pro illis operibus, quatenus de illis iusti in caelo gaudebunt. Haec est sententia Bonaventurae in IV. D. XIV p. 2. a. 2. q. 1. eamque s. Thomae tribuit Toletus in h. l. spectatis iis quae s. Doctor docet ad 3^m.

Altera sententia est quod cum peccator resurgit ad gratiam, non solum ei datur gratia respondens praesenti dispositioni, sed tota amissa gratia datur et totum meritum gloriae: quocirca reviviscunt omnia opera facta in gratia. Istam Nominales tenent, Toletus in h. l. et Suarez Opusc. Relectio De reviviscentia meritorum, aliique.

Tertia opinio est quod omnia opera mortificata redeunt quantum ad meritum vitae aeternae, non tamen restituitur in hac vita gratia seu gradus gratiae, qui prius habebatur. Negant scilicet auctores huius opinionis necesse esse quod, si opera reviviscunt quantum ad meritum gloriae, reviviscant etiam quantum ad gratiam. Quia, inquit, per actum remissum caritatis habetur meritum gloriae, non vero datur per eum nunc augmentum gratiae (2^a. 2^o. q. CIV. a. 8); non ergo opus est ut si illud est, sit quoque et alterum.

Quarta opinio rationem habet modi, quo homo resurgit a statu peccati: ait ergo quod homini resurgenti per gratiam *secundum totum conatum suum* restituantur omnia opera mortificata quantum ad meritum gloriae et quantum ad gratiam. Si vero non resurgit homo secundum totum conatum, restituantur opera proportionate conatus, ut si dimidia pars fuerit conatus, reddatur dimidium bonorum operum, et ita porro. Per bona autem opera sequentia proportionaliter quoque reddi partem gratiae et meritorum mortificatorum. Haec est doctrina Dominici Soto in hanc quaestionem a. 2. Differt haec sententia a secunda, eo quod ipsa velit poenitentiam se habere ut dispositionem ad reviviscentiam meritorum; secunda vero teneat poenitentiam se habere tantum ut removens prohibens, h. e. impedimentum quod est peccatum.

Has doctorum sententias dicit Toletus omnes esse probabiles propter rei incertitudinem; eligendam eam tamen esse, quae magis consonat Scripturae, pietati et rationi.

II. Ut quid ergo nobis videatur clare proponamus, declarandum primo est quid intelligamus proprie, cum dicimus *reviviscentiam operum bonorum*.

Itaque reviviscentia operum bonorum in eo est, ut merita ad vitam aeternam, quae per opera bona homo, cum iustus esset, sibi comparaverat, quaeque, superveniente statu peccati, non amplius ei proderant dum maneret in eo statu, rursus valeant, deleta peccato, valeantque sicut prius ad vitam aeternam. Hoc enim est opera esse viva, habere nempe vim perducendi ad vitam aeternam, ut ait heic s. Thomas: opera idcirco reviviscere est hanc vim rursus obtinere. Quare merita ista non supponuntur propter sequens peccatum prorsus extincta sive mortua, ut amplius redire non possint, sed potius mortificata; quatenus nempe eorum efficacia impeditur per peccatum;

eaque, hoc deleto, rursus se explicat sicut antea. Itaque si opera bona reviviscunt cum Deus per poenitentiam peccata homini remittit, suamque gratiam restituit, restituit quoque merita praecedentia peccatum, eaque imputat homini ad praemium vitae aeternae perinde ac si non peccasset.

Quaestio non est de possibilitate, scilicet utrum posset Deus propter peccatum reiicere omnia merita praecedentia eaque prorsus extinguere, ita ut, etsi deinceps gratia restitueretur, nihil tamen amplius valeant ad gloriam merita antea acquisita. Si enim quaestio huiusmodi instituatur, negandum non est Deum hac poena potuisse multare peccatorem, ut omnia merita eius praecedentia nihil amplius valerent. Non enim est poena improporcionata culpae; et quemadmodum potest Deus peccantem statim punire poena aeterna nulla ratione habita meritorum praecedentium, ita potuit hac mitiore conditione veniam largiri, ut meritis praecedentibus nihil amplius deberetur. Et haec est sententia Lugi (Disp. XI, sect. 2.) contra Vasquez.

Quare si Deus hanc poenam non statuit, si rursus acceptat merita praecedentia peccatum, intercedit profecto aliqua misericordia. Quae misericordia in eo est ut velit adhuc ea merita valere, sive nolit ea per peccatum extinguere: quatenus vero iis existentibus in iusto decedente in statu gratiae praemium Deus rependit, opus iustitiae est; hypothesi enim facta quod peccatum tantummodo impediat actualem efficaciam meritorum, ablato per poenitentiam eo impedimento, merita se habent, ac si nunquam fuisset peccatum; unde iis debetur praemium, sicut certe deberetur, si nunquam peccasset homo. Demonstramus ergo Thesim.

III. Doctrina est Concilii Tridentini Sess. VI. cp. 16. quod iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba *Abundate in omni opere bono scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (1. Cor. XV, 58); *non enim iniustus est Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine eius* (Heb. VI. 10)... Nihil ipsis iustificatis amplius deesse, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi, pro huius vitae statu, satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, *si tamen in gratia decesserint*, consequendam vere promeruisse censeantur: » et can. 32. « Si quis dixerit hominem iustificatum, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, *si tamen in gratia decesserit*, consecutionem, atque etiam gloriae aug-

mentum: A. S. « Porro, ut id modo tantum consideremus, ea verba *si tamen in gratia decesserint* bis repetita cum data opera agebatur de meritis iustorum, praemioque meritorum consequendo, declarant determinatum sensum verborum canonis 26. Sess. VI. *si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint*. Scilicet non postulatur ut a prima iustificatione quis usque ad finem vitae sine interruptione perseveret in statu gratiae, sed postulatur quod decedat in gratia; haec est enim perseverantia, de qua loquuntur Patres, cum donum perseverantiae esse a Deo defendunt. Quod et ex prioribus verbis cap. 16. Sess. VI. demonstratur; nam quoad consequendam mercedem suis operibus in eodem censu locantur sive qui acceptam gratiam perpetuo conservaverint; sive qui amissam recuperaverint.

Itaque ex verbis Concilii habemus quod ut opera mereantur vitam aeternam et gloriae augmentum requiritur quod sint bona, facta per gratiam, fiant a vivo membro Christi, h. e. a iusto, et iustus in gratia decedat. Suspiciari profecto non licet omissam esse aliam conditionem necessariam, cum data opera agatur de declaranda vera doctrina catholica circa merita iustorum erga vitam aeternam contra haereticos; praesertim cum omissio alicuius conditionis necessariae non solum incompletum, sed falsum sensum gignere posset. Atqui hae omnes conditiones valent non tantum in iis operibus, quae fiunt a iusto sine ulla unquam interruptione peccatorum, sed et in iis, quibus succedit peccatum, quod tamen deinceps per poenitentiam deletur. Scilicet ut opera iustorum consequantur praemium, quod promerita sunt cum fierent, non requirit Concilium hanc conditionem ut post illa non peccetur, seu ut semper iustus maneat in statu gratiae, sed ut decedat in gratia, quod fit vel retinendo primam iustitiam acceptam, vel eam poenitentia recuperando. Atqui huc prorsus redit reviviscentia meritorum; nam merita reviviscere nihil est aliud quam hominem post peccatum rursus in tali statu constitui, ut si in illo ipse moriatur, praemium ipsis meritis debitum consequatur: id autem fit per poenitentiam, quae facit ut homo in gratia decedat: ergo.

Igitur ratio cur bona opera reviviscant, ea est, quia Deus bona opera in gratia facta acceptat ad gloriam suo tempore tribuendam, dummodo is, cuius sunt opera, decedat in gratia. Quare quamdiu ille, qui ea merita sibi comparavit, vivit et ideo potest in gratia decedere, tamdiu potest per eadem consequi praemium illis debitum. Ergo opera illa retinent, donec homo vivit, vim perducendi hominem ad gloriam, ideoque peccatum sequens potest quidem sus-

pendere vel impedire eorum efficaciam, dum status peccati durat, at nequit ea prorsus abolere; sed tantum mortificat.

Praeterea ita arguit Lugus (cuius tamen iam argumentum praecupaverat Toletus). Deus non vult aliqua aeterna poena punire peccatum remissum. Ratio est, quia remittitur per gratiam, quae confert ius ad gloriam; quae quidem gloria est status plenissimae beatitudinis ac perfectissimae pacis et amicitiae: quocirca repugnat in eo statu hominem subiectum esse poenae. Atqui si merita prius comparata ad gloriam non restituantur, punitur reapse peccatum poena aeterna. Nam merita praecedentia extinguerentur per peccatum demeritorie, ideoque privatio gloriae respondentis iis meritis esset in poenam peccati: si ergo haec privatio manet etiam remisso peccato, poena aliqua aeterna manet pro peccato remisso: ergo.

Addit aliud argumentum Toletus ab absurdo. « Si esset homo per totam fere vitam Deo serviens in magnis operibus et postea commisit unum leve mortale a quo statim per poenitentiam non multum intensam surrexit et mortuus est; esset autem alter qui toto tempore gravissimis offendit Deum peccatis, et postea intensiore poenitentia surgens deinde statim mortuus est, tunc iste maius praemium aeternum apud Deum consequeretur. At hoc concedere durissimum est, et contra Dei misericordiam videtur: nec erat affirmandum nisi fides aut ratio convinceret, quorum neutrum est. »

Argumentum vero s. Thomae, quo quaestionem propositam in a. 5. solvit, (quo quidem potius res declaratur) et ex quo colligere licet ipsum in hac, quam defendimus, sententia fuisse, istud est, quia subsequens peccatum « impedire non potest quin (opera bona prius facta) vivificentur: non enim habent vim perducendi in vitam aeternam, quod pertinet ad eorum vitam, solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est ad se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera prout facta fuerunt acceptabit... Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata recuperent per poenitentiam efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est ea reviviscere » a. 5.

Igitur manent opera bona *in acceptatione divina* ad reddendum illis praemium suo tempore: et quamvis ea opera desinant tribuere homini ius ad gloriam tum cum in peccato est; manet tamen vis

eorundem operum perducendi hominem ad praemium, si decedat in gratia; quae vis manet, quamdiu potestatem retinet homo moriendi in gratia, h. e. tota vita.

Hinc patet ratio discriminis cur peccata remissa non reviviscant, at reviviscant merita, quae fuerunt ante peccatum. Peccata enim penitus abolentur tum cum homo per gratiam desinit esse in statu peccati; quia remissio directe et formaliter opponitur reatui culpae illumque excludit efficitque ut desinat ius Dei habendi odio hominem propter peccatum; haec enim est vera remissio. At peccatum sequens non opponitur directe et formaliter ipsis meritis simpliciter spectatis, sed solum efficaciae eorum de praesenti, ne valeant scilicet nunc perducere hominem ad salutem. Non opponitur autem peccatum ipsis meritis simpliciter spectatis, quia ut merita valeant postquam acquisita sunt, id tantum postulatur ut homo decedat in gratia; sunt enim opera viatoris, quorum merces in altera vita reservatur: id vero peccatum praesens per se non impedit, quia potest peccator poenitentiam agere. Itaque peccatum nequit abolere ea merita sive impedire ne maneant in acceptatione divina nisi conditionate, h. e. si homo moriatur in eo peccato: idcirco deletio peccato merita reviviscunt.

Verum nonne contrarium satis aperte colligitur ex Ezech. XVIII. 21-24? Quemadmodum enim de peccatore affirmat Deus quod, *si is poenitentiam egerit, omnium iniquitatum eius non amplius recordabitur*, ita de iusto idem Deus testatur, quod *si is se averterit a iustitia sua, omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur*. Igitur par est ratio quoad reditum peccatorum remissorum et reviviscantiam meritorum.

Respondeo. Paritas certe est in hoc, quod quamdiu ille in statu iustitiae manet, hic in statu peccati, nec illi obsunt praeterita peccata, neque huic prosunt praecedentia merita. Porro propheta loquitur in hypothesi quod qui excidit a iustitia, in peccato maneat, imo moriatur: *in praeveraricatione, qua praevericatus est et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur*. At mutata hypothesi quod ille a statu iustitiae rursus cadat, hic a peccato surgat, paritatem quoad praecedentia opera haberi nec propheta heic dicit, consulta vero doctrina catholica patet id esse negandum.

IV. Sententiam hanc, quae ex doctrina Concilii Tridentini evidenter colligitur, Theologi generatim (cf. Vasquez loc. infra cit.) confirmant quoque auctoritate Scripturarum et Patrum. Et ad testimonia Scripturae quod attinet, ad illud potissimum provocatur, quod exstat ad Hebr. VI, 9. 10: *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam osten-*

distis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis. Quod enim dicit Apostolus: Deum non iniustum esse ut obliviscatur operis vestri, accipiunt Theologi de operibus in gratia factis antequam illi ab ea exciderent, quorum Deus, si resipiscant, non obliviscitur; oblivisceretur vero si iis operibus praemium negaret: ergo. Hanc interpretationem demonstrant vel suadent primum auctoritate Concilii Tridentini Sess. VI. cap. 16. iam superius recitato, ubi Patres proferunt duplex testimonium Apostoli proponendum iustificatis, quorum alterum est istud ex epist. ad Hebr.: *non enim iniustus est Deus* etc. primum ex 1.º Cor., quod per se ad iustificatos spectat. Quorsum vero illud secundum testimonium proferunt Patres Tridentini? Quia nempe in eodem contextu sermonis iustificatos distinxerant tum in eos, qui acceptam gratiam perpetuo conservaverint, tum in eos, qui amissam recuperaverint: iam vero prius testimonium ad priores spectat, alterum ergo ad alteros, ut quod de utrisque dicitur proprio argumento confirmetur.

Verum 1º ut recte Synodus eo testimonio usa dicatur, non opus est eo in testimonio sermonem fieri de illis, qui resipuerint; etsi enim de iustis simpliciter sermo ibi sit, valent ea verba Apostoli ad confirmandum quod Synodus generatim intendit, iustificatorum operibus retributionem esse reddendam. 2º Ut ea interpretatio verborum Apostoli probaretur, supponendum esset hebraeos, quos alloquitur Paulus, vere prolapsos esse in peccatum, imo ut tales considerari ab Apostolo: atqui nihil inest in tota epistola quod id evincat. Patet quidem eos segnes (c. V. 11.) effectos esse, ac a fervore fidei defecisse: peccasse vero et alienos fuisse a gratia Dei, vel quod perinde est, tales repraesentari ab Apostolo non patet. Quod enim dicit X, 25. seq. non ideo dicit quia aliqui iam voluntarie peccaverint, sed ut a lapsu eos deterreat, in quem remissi et tepidi ac pavidum gerentes animum instantibus persecutionibus proni sunt. Ceterum ibidem VI, 9. ait Apostolus credere se de illis meliora et viciniore saluti (quod scilicet non sint ut terra proferens spinas et tribulos, tametsi ita loquatur h. e. licet dixerit impossibile esse renovari ad poenitentiam prolapsos) quia scilicet haec dixerat ad deterrendos eos a lapsu. Praeterea eodem commate 10. c. VI. quemadmodum mentionem facit eorum operum bonorum praeteritorum illis verbis: *operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis sanctis*, ita significat haec opera non desiisse subdens, et *ministratis*. Lege Cornelium a Lapide in l. 1. An ex aliis testimoniis ea veritas probari possit, patebit ex sequentibus. Igitur non censemus colligi ex verbis Apostoli hanc determinatam sententiam, saltem immediate: opera scilicet bona per peccatum mortificata, per

poenitentiam reviviscunt. Et tamen Synodus ad id quoque probandum verba haec producit. Nimirum eadem veritas colligitur ab iis verbis sub conceptu universaliore, quem exhibent et in quo ille etiam specialis continetur: Deum scilicet non oblivisci operum bonorum nostrorum.

Ad Patres quod spectat, haec habe. In verba Pauli ad Galatas III, 4. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, hanc inter alias probat interpretationem Hieronymus, nimirum spem esse « quod quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursus non perdat ea, si ad pristinam fidem revertatur ». Item Chrysostomus « significans videlicet, si volueritis expurgari ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Ubi sunt nunc qui tollunt poenitentiam? Ecce ii spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumera pericula, varias persecutiones Christi causa passi fuerant, et post tam multa recte facta a gratia exciderant, et tamen dicit: si volueritis, potestis vos ipsos revocare ». Ita scilicet ut non frustra passi sint, sicut ait superius. Et Theophilactus: « Non pro lege, sed pro Christo passi estis: qui autem Christum reliquistis, nihil ex passionibus deinceps lucrificatis. Sed bonam spem eis ostendens subiungit: si tamen sine causa; si enim vultis manere in gratia, pro vestris passionibus mercedem accipietis ». (Cf. Vasquez in I. II. D. 221). Item Auctor libri de vera et falsa poenitentia c. 14. ait: « Timeat ne omnia bona quae fecit, dum in uno peccato perseveraverit, ex contaminatione mali perdiderit... Pium est tamen credere ut recepta Dei gratia, quae in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona; ut cum destruxerit quod suum non invenit, amet et diligat bonum, quod etiam in peccante plantavit ». Doctrina est scilicet generalis Patrum omnibus operibus bonis in gratia factis suum praemium servari in caelis: quod praemium proinde obtinebit quicumque salutem aeternam consequetur.

V. Dicimus porro secundo reviviscere opera *cum eadem efficacia* ad praemium sibi debitum consequendum. Nimirum praemium operum, quae in gratia fiunt, est gloria et augmentum gloriae, ut docet Conc. Trid. locis citatis, hoc essenziale praemium ipsorum est. Iam vero si opera reviviscunt dicenda sunt reviviscere ad illud idem promerendum praemium, quod prius merebantur. Si enim aliquid minus, puta gloriam aliquam accidentalem, cum reviviscunt, promerentur, ut quidam censent, in eo sitam quod beatus gaudium intentius habeat eo quod gaudeat etiam de piis operibus factis ante lapsum, falsum foret quod docet Concilium Tridentinum: nempe ut opera iustorum consequantur debitam sibi mercedem, quae est gloria essen-

tialis, et augmentum gloriae, satis esse quod iustus tandem decedat in gratia; sed requiretur et haec alia conditio, quod nimirum nunquam peccaret. Et sane nisi idem praemium, quod prius iis debebatur, rursus post poenitentiam deberetur, falsum simpliciter esset quod merita illa reviviscerent, cum non amplius ius per ea acquisitum haberetur.

VI. Ex dictis constare potest quatenam in hac re sit efficacia poenitentiae. Ea enim se habet ut removens prohibens. Quod satis aperte docet s. Thomas loco superius citato. Peccatum enim impediens ne merita parta in gratia valerent pro homine existente in statu peccati: poenitentia autem, removendo peccatum, impedimentum tollit efficaciae meritorum resque ponit in eo statu in quo prius erant. Et sane si ut merita, quae iustus sibi comparavit, valeant actu ad mercedem, id requiritur solum ut iustus decedat in gratia, manentibus iisdem in acceptatione divina, dicendum est peccatum subsequens non extinguere ipsa merita, sed impedimento esse ne vim suam exerant et idcirco poenitentiam eo spectare ut removeat hoc impedimentum. Ex quo consequitur omnia merita prius comparata reviviscere. Quidam tamen aliter censent, scilicet reviviscere merita secundum mensuram poenitentiae, ut quo maior et intensior fuerit haec, plus praecedentium meritorum vel plus iuris ad gloriam reviviscat. Hi vero ex hoc principio arguunt, quod poenitentia ad reviviscentiam meritorum conferat non solum ut removens prohibens sed ut dispositio. Verum ita inducitur nova conditio pro reviviscentia meritorum, certus nempe gradus poenitentiae, cuius non meminit Tridentina Synodus. Qua in hypothesi verum esse contingeret et iustificatum decedere in gratia et carere praemio respondente meritis sibi partis. Cur vero caret? quia nempe non tantum poenituit post lapsum quantum potuit. At si ita est, dicendum est praemium quod debetur iis meritis non dari nunc solum propter ea merita, sed et propter poenitentiam simul, h. e. merita ea ex se solis nunc non sufficere ad illud praemium, quod tantumdem est ac dicere ea merita evanuisse; meritum enim insufficientis non est meritum. Ut enim illud praemium merearis quod iam meritis eras, aliud opus bonum sive perfectio operis boni sita in conatu requiritur; idcirco illa opera licet maneant coram Deo, non iam per se sola acceptantur ad praemium vitae aeternae: atqui merita praecedentia erant ea opera sola, ergo reapse merita praecedentia desiderantur; quia opera bona praecedentia evaserunt insufficientia ad promerendum praemium, deleta peccato. Placet itaque sententia Suarezii l. c. quod Poenitentia se habeat solum ut removens prohibens, et sic reiiciendam arbitramur quartam sententiam.

VII. Dicimus tertio: peccato, per quod mortificabantur merita,

remisso, restituitur etiam tota gratia sanctificans meritis iis respondens, sive aliis verbis; redit homo ad eum amicitiae divinae gradum, quem prius propter merita obtinuerat.

Ratio est quia cum meritis, quae imputantur et acceptantur ad praemium vitae aeternae, nexa est necessario perfectio quaedam gratiae sanctificantis, seu quidam excellens gradus amicitiae divinae; magis enim Deo placet iustus cum meritis, quam sine meritis, qualis est infans baptizatus, et quo maiora sunt merita, eo magis placet; restitutis ergo meritis necesse est ut et tota gratia sanctificans sive omnis gradus amicitiae divinae iis respondens restituatur. Et re quidem vera sicut gloria respondet gratiae, ita et gradus gloriae gradibus gratiae, at per merita reviviscentia recuperatur ius ad gloriam, quod prius habebatur; ergo et ius ad gratiam ei respondentem: sunt enim haec duo inseparabilia. Tertia proinde opinio non satis rationi consentanea videtur.

Obiicies. Iustificatio gratuita est, et gratia, quae infunditur, datur secundum dispositiones poenitentis Conc. Trid. Sess. VI, cp. 7.: atqui si gratia restituitur secundum merita praecedentia, iustificatio neque est gratuita, neque datur gratia secundum, sed praeter dispositiones poenitentis.

Respondeo. Iustificatio, quam nulla exigunt merita est iustificatio prima, quae est translatio a statu peccati ad statum gratiae (Conc. Trid. Sess. VI, cp. 4.): haec porro etiam in eo poenitente, cuius merita praecesserant, gratuita est, redit enim is gratis ad amicitiam divinam. At quatenus restituitur ille prior gradus amicitiae divinae, seu ea perfectio gratiae sanctificantis, haec restitutio non est translatio a statu peccati ad gratiam, sed supponit hominem translatum. Quare et hic gradus gratiae non refertur ad actus poenitentis; Concilium enim loquitur de ea gratia, ad quam actus poenitentis se habent ut dispositio: at ad hunc gradum se habent tantum ii actus ut removens prohibens. Cf. Suarez Opusc. cit. De Lugo Disp. XI, Tolle in hunc locum.

Corollarium. Ergo cum poenitentia sit opus bonum, quo gratia acquiritur, qui per poenitentiam resurgit, maiorem gratiam habet, quam haberet antequam peccaret.

VIII. Itaque ex demonstratis patet primam opinionem reiiciendam esse; nam reapse negatur opera bona reviviscere; vita enim eorum in eo est sita, ut possint perducere ad praemium quod ipsis, cum facta sunt, debitum fuit: hoc vero est gaudium essentiale sive ipsa gloria secundum essentiam, non aliquod gaudium accidentale.